



1. Gerlachij Stephij diff:
de persona Servatoris Christi
Tubingae 1577
2. Gesnerij Salamp diff. de
quadruplici Homini con-
sideratione, Witteb. 1576.
3. ———— diff. dud de
Acolia triumphante in
Coeli. Witteberga 1575.
4. ———— diff tres de Turra.
Witteb. 1575.
5. ———— diff. de commu-
nicatione idiomatum reali
Witteberga 1576.



PROPOSITIONES

HENRICI

ZVTPHANIENSIS
PII ET CONSTANTIS
MARTTRIS IN

Ditmarſia Anno 1524
combusti.

Quibus

HABITVDINEM
PHILOSOPHIÆ IN NATV-

*ra, ad Legem, ad Evangelium, ad
Charitatem Christianam
ita explicat,*

Vt in Naturâ ſit Caro, Mors, Cæcitas &c
per legem fortiter arguenda, ex Evangelio
recreanda, in Charitate cum ſua fi-
dei Ariſtotelico habitu haud
toleranda.

MAGDEBURGI

Recudebat Andreas Duckerus Anno 1600.



PROPOSITIO
HENRICI
AVTHORITATIS
SISPTHE...
TIS...
HABITUDINE
PHILOSOPHIE...
in...
V...
...

H



N A T V R A.

I.



- Homo natus ex carne, caro est ipse totus, & quicquid est in ipso.
2. Caro quia non percipit ea quæ Dei sunt, cæca est & in tenebris manet.
 3. Caro quia regnum Dei possidere non potest, sub peccato, sub principe mundi, sub ira Dei manet.
 4. Caro quia legi Dei subesse nequit, tota, peccatum, mors, & infernus est damnationis.
 5. Homo enim dum vivum verbum (quo conditus erat) deseruit, statim mortuus est, & spiritu Dei vivificante privatus.
 6. Verum mors ista, licet nunquam non sit pernicio-
sa, tollens vitam & omnes actus eius.
 7. Tamen dum pro vita habetur, multum est perni-
ciosissima.
 8. Impia cæcitas, quæ hanc cæcitatem nescit, impius
stupor, qui hanc mortem non sentit.
 9. Sed IMPIISSIMVS ARISTOTE-
LES, qui cæcitatem lumen, & mortem nobis sua-
det esse vitam.
 10. Dum rationem ad optima precantem, & libe-
rum arbitrium rationi obtemperans, statuit in natura.
 11. Scilicet ab arbore jam ex radice pessima colligens
fructus tam bonos tam felices.
 12. Talis est doctrina moralis Sententiariorum
nostrorum.

13. Quod vel me tacente probant cæcitatæ fructus
(quos videmus) 1. cap. ad Roman. descriptos.

14. Sic enim debuit illudi Vanitas cordis humani,
quæ non probavit in notitia habere Deum.

15. Ut cæcam sequendo PHILOSOPHIAM
in tantam rueret sentinam perditionis.

16. Manet ergo homo sicut in peccatis conceptus, Ita in
damnatione mortuus, quantos eliciat actus bonos.

17. Nec hoc dico, quasi actus morales, quia non sunt
ex gratia elicti à Deo reprobentur.

18. Qui dum habitu gratiæ veluti vestiti præce-
dunt fierent grati.

19. Sed cor hominis vanum est, & omnia interiora
eius prava, sicut Paulus ex 14. Psalmo deducit.

20. Nihil habens in radice, trunco & fructibus non
venenatum.

21. Sola quippe folia sunt ficus & occultamenta dede-
coris, quicquid unquam est ab hominibus morale consu-
tum.

L E X.

QVoniam autem bis cæcus erat & bis mortu-
us homo, quia dixit, Video & vivo, scilicet
INSTRUCTVS PER PHILO-
SOPHIAM.

23. Ideo subintroiuit Lex, ut ostenderet peccatum &
refricaret illius immedicabile vulnus mortem.

24. Est autem Lex, clara mandatorum Dei cog-
nitio, quam vidit igneam Moses, in dextera Dei.

25. Quæ

25. Quæ nisi veles faciem Mosi fuco, solum modo terret, peccatum arguit, peccatores & inimicos Dei constituit.

26. Dum omnes concludit sub peccatum, qui non permanserint in omnibus quæ scripta sunt in libro legis.

27. Non quod faciat peccatum, sed energia est peccati, sicut sol excitat fœtorem cada veris, ut sordescat nimis.

28. Mortuus enim eram in peccato, sed nesciebam antè legem.

29. Est ergo gladius à Paradiso coercens, imò peccatorem judicans & occidens.

30. Vnde sit bona Lex, sit mandatum sanctum, aliud quàm mortem & damnationem in peccatore non operatur.

31. Quisquis autem requiescit in Lege, sub observantia mandatorum quærens justiciam, discipulus Mosi dici potest, non tamen erit.

32. Vestimentum quippe scindit, non cor, & contempto vivo Mose, cum larva ludit & velo faciei eius.

33. Alioqui vivus Moses fidelis servus est in domo quam filius hereditavit, Viva lex, pædagogus recta ducens ad unum magistrum Christum.

34. Et hæc de lege divina, humanas autem leges (quod ad justiciam attinet, etiamsi sint honestissimæ) indicat Christus Matth. 23. dicens, Hypocritæ, bene prophetavit de vobis Esaias dicens, Populus hic &c. frustra colunt me, docentes doctrinas & mandata hominum.

EVANGELIVM ET FIDES.

I.

Quandoquidem impossibile erat vel apicem prætere-
ire à lege, donec omnia fierent.

2. Oportuit sub maledicto concludi universum semen Adæ.
3. Donec veniret semen cui benedixit Dominus, dicens, ipsum conteret caput serpentis.
4. In isto quoniam complacitum erat Patri, tota Lex impleta est & Propheta.
5. Solus ipse servus legis & dominus, totum peccatum tolerans & tollens, mortis rapina simul & laqueus, captus in inferno quem dirupit.
6. In quo sicut omnia sunt creata, ita oportet omnia re-creari.
7. Nec plus efficit nova Creatura, ad sui recreationem, quam vetus illa cooperata est suo Creatori.
8. Nullo modo senex potest introire in ventrem matris & renasci, sed totaliter novum cor, & novus homo creatur secundum Deum, in justitia & sanctitate veritatis.
9. Dum fide credit cor novum ad justitiam, non dubitans quin acceperit potestatem filius Dei fieri, credens in nomine Christi.
10. Nec fidem accipio mortuam illam literam recensendi, tum veteris tum novi Testamenti narrationem.

II. Neq;

11. Neq; si omnes articulos fidei in litera noveris,
& quicquid sequitur ex eis, Christianus eris.

12. Sic enim daemones credunt & contremiscunt, natum, crucifixum & mortuum sciunt Christum.

13. Imo resurrexisse & iudicaturum vivos & mortuos.

14. Sed fidem dico certissimum testimonium spiritus Christi, testificantis spiritui nostro quod simus filij Dei.

15. Nihil minus habentes, quam ipse filius, quem habemus per fidem habitantem in cordibus nostris.

16. Cujus justitia nostra est, peccati, mortis, & inferni triumphus noster est, cuius totum regnum nostrum est.

17. Ita ut nihil habeat Pater, quod non habeat Filius, & nihil habeat haeres, quod non habeant cohaeredes, quos non erubuit vocare fratres.

18. In qua hereditate tantum accipis, quantum credis; imo omnia possibile sunt credenti.

19. Nec quicquam mereris gratiae, quia filius irae, nec gloriae, quia jam pridem filius & haeres.

20. Si enim aliquid est ex merito, jam gratia non est gratia, nec Christus plenus gratia & veritate.

CHARITAS.

Num ergo cessabimus à bono, quia nostris officiis nihil meremur?

22. Imo ideo non cessabimus à bono, quia gratis nobis dedit pater, quod non opus est ut mereamur.

23. Alioquin

23. Alioqui cesset & bonus filius obsequi patri, cuius scit se nullis meritis esse heredem.
24. Quin potius hoc Paulo monente, sentiamus in nobis quod & in Christo Iesu.
25. Qui jam dum conceptus filius & haeres, factus est obediens patri usq; ad mortem.
26. Ita portemus fratrem & omnes necessitates eius, adimplentes (quam ipse suscepit) legem Christi.
27. An ideo nolimus obsequi Patri, quia gratificavit nos in dilecto filio suo?
28. Pereat ergo fides illa, stupore dormitans, per urgentem ad charitatis officia spiritum non sentiens.
29. Aristotelicus forte fuerit aliquis habitus ille, quem nescias, non vivus Christus.
30. Est enim sermo Dei vivus & efficax, & penetrantior omni gladio ancipiti.
31. Ne ergo metuito si fidem habeas, charitatem non mox comitaturam.
32. Imo jam spiritu duceris, & spontaneus raperis ad omnia, exemptus à lege.

F I N I S.



99 A 6905

ULB Halle
002 824 817


3



5b_a







17.

PROPOSITIONES
HENRICI
ZVTPHANIENSIS
PII ET CONSTANTIS
MARTTRIS IN
Ditmarſia Anno 1524
combusti.

Quibus
HABITVDINEM
PHILOSOPHIÆ IN NATV-
ra, ad Legem, ad Evangelium, ad
Charitatem Christianam
ita explicat,

Vt in Naturâ ſit Caro, Mors, Cæcitas &c
per legem fortiter arguenda, ex Evangelio
recreanda, in Charitate cum ſua fi-
dei Ariſtotelico habitu haud
toleranda.

MAGDEBURGI
Recudebat Andreas Duxerus Anno 1600.

H

